

DE PILVLAS
CONFICIENDI
RATIONE
COMMENTARIUM VIII.



PILVLAE, seu Catapotia illa dicuntur Pharmaca, quæ in unum coadunata in exiles Orbiculos, vel Globulos digeruntur, vt Actuario placet lib. de Comp. Medic. Hac methodo parentur.

Omnia, si ex siccis conflantur, eo modo, ac ordine tritanda erunt, quæ patefecimus Comm. de Pulueribus, quæ cribro tenui excutiantur, vel per pannum subtilem, imperante Haly.

Purgantia solitaria cōminuantur, ne longo tempore detrita euanescent: etiam si Colocynthis longam ferat triturationem, teste Mes.

Lapides accuratè abluendi, & super cotem leuigandi, vt Cianeus, & Armenus, docente Mes.

Gummi, & Succu densati per diem, & noctem macerentur aliquo liquore, qui sit Aqua Caulis, aut Porri, iubente Auicenn. lib. 5. Hæc dissoluenda esse reliquerunt scriptū Mes. Serap. & Haly, qui ferè omnia aqua calida macerabāt, & excipiebant. Nos autem aut Decocto, aut Succo, aut Aqua alicuius Simplicis, quod ingrediat compositionem, iube-

T r mus

mus illa dissoluere, & omnia in vnum cogere, dum modo à Scriptore non sit aliud determinatum. Serapio in Antid. c. 17. utebatur aquis stillatitijs pro diuersitate aut morborum, aut affectionum.

Seplasiario
rū auaritia
& error.

Sit Aqua, aut Succus, aut Liqueor tanta quantitate, quanta sit sufficiens ad omnia simul vnienda, quæ quidem etiam si sit æqualis ponderi Specierum non rarò; attamen tractu temporis tota euanesceat, quod ut videantur euitare Seplasiarij aliqui nostræ ætatis, auaritia tamen impulsæ, ut sui est moris, excipiunt omnes ferè Pilulas Melle Rosaceo maxima cum perniciæ ægrotantis, & Medicorum infamia; nam isti cum pro rato, ac firmo habeant exhibere ægrotantibus drachmam vnā Pilularum Cochiarum, dimidiam circiter illis tribuunt. Satis enim omnibus est ad apertum ad vnciam vnā Specierū, vel tritorum vniendam, dum modo copiosa non sit Aloe, requiri tantumdem Mellis Rosati, aut Serapij, vel paulò minus, ut drachmæ sunt sex; at Aquæ, aut Succus solū drach. duæ, vel tres expostulantur. Quapropter non sit illa humorum euacuatio, quæ à Medico anxie expectatur, & ab ægro desideratur: præterea nonne sententiæ Scriptorum aduersantur, & maximè Mes. cum pro succo Caulium Syr. succo Caulium confectum sumere decernant? Quid irrationabilius, quàm audire Seplasiarium corrigentem, ac castigantem omnino præter rationē, quod cachinno est dignum, grauium Scriptorum præcepta, atque mandata? Sed fortè dicent illi non paruum imminere periculum, ne tractu temporis are-
scant,

fcant, & quoquomodo in lapidem verrantur: parent isti, si hoc timent, paucam quantitatem Confectionis, qua Pilulæ conficiuntur, & sic euitabunt hanc futuram, vt dicunt, ficcitatem, quam tamen vt videre licet, contemnunt in Confectione Pilularum Alefanginarum, quæ breui tempore sicca euadit, & sine aliquo detrimento liquore iniecto in Pilulas efformatur.

Cum omnia vnita fuerint, vigorosè terantur, vt quælibet particula integrè inalteretur à calore pistilorum suscitato, & commisceatur, Haly mandarū, dum de Trochiscorum Confectione agit, quæ vnita si cupis exficcare, sub ymbra collocentur, vt ille posteritati scriptum reliquit.

Diu perdurant, damnantur tamen exueto earum vernaculo humore, quod à longitudine temporis euenire solet. Hæc Actuar. lib. de Comp. Med. Serapio Pilulas à duobus mensibus ad sex optimas esse decreuit.

Catapotia Aromatica, seu Pilulæ Alefanginæ Mesue, et modus eas parandi.

℞. Cinnamomi,
Cubebe,
Ligni Aloes,
Calami aromar.
Macis,
Nucis Moschatae,
Cardamomi,
Caryophyllana vnc. j.

Tt 2 Afari,

332 De vera Meth. Pharm. par:

Afari, f. Baccharæ,
Mastiches,
Schænuanthus,
Spicæ,
Carpobalsami, Cubebæ eius loco ana vnc. j.
Absinthii sicci, f. communis,
Rosarum ana drach. v.
Aquæ lib. xij.

Parum terantur, & fundatur super ea aqua, & coquantur ad consumptionem octo librarum, fricentur tunc manibus, colentur, & exprimantur. Accipe Aloes bonæ, sæpe ablutę, vt ter in scutella lapidea vitreata cum aqua pluuiæ lib. j.

Siccetur, cui affunde Decocti prædicti lib. ij. circiter, tere in Sole, deinde dictæ Aloe misce

Myrrhæ,
Mastiches ana drach. v.

Croci drach. iij. Incred. xx.

Tere hæc curiosè, & reliquum Decocti ipsis affunde terendo, (potiùs miscendo) donec siccescant, fac Catapotia Ciceris magnitudine.

Error Se-
plaf.

Decoctum seruetur Oleo superinfuso, vt capite de Decoctis abundè narrauimus. Quis terit in Sole dictam massam, vt iubet Mesue?

Pilule Stomaticæ, vel Stomachicæ Mes.

Rx. Hieræ Picrę, f. Mesue drach. vij.
Trium Myrobalan. scilicet Chebul. Citrin. &
Indarum ana dr. iij.

Agarici

Agarici drach. ij.

Turpethi boni drach. x.

Epithymi Cretici,

Anisi ana drach. ij. β.

Salis Indi drach. ij.

Absinthii,

Scammonii ana drach. iij. *Ingred. xij.*

Cum Penidiorum drachmis tribus, & succo Cichorii fac Catapotia. Penidia in succo dissoluantur, cui cetera prius trita secundum artem addantur; inter quæ Scammonium castigatione non indiget, cum Myrobalani, Absinthium, & Hiera existant, & à Mesue non exprimatur; cum enim hoc desiderat, adaperitè scribit, ut in Pilulis Aggregatiuis videre licet.

Error multorum.

Catapotia Euphorbij Mesue.

Rx. Euphorbij,

Colocynthidos,

Agarici,

Bdellii,

Sagapeni ana drach. ij.

Aloes drach. v. *Ingred. vij.*

Finge cum aqua Porri Mes. Ferè semper ab Arabis usurpatur aqua pro succo, in quo Gummi dissoluantur; Bdellium Colocynthidem castigar. Et ideo Trochisci Alhandal fugiendi.

Error aliquorum.

Catapo-

Catapotia Aggregativa, sive Polycresla Mes.

℞. Myrobalan. Citrin.
 Rhabbarbari ana drach. iiij.
 Succi Eupatorii, f. Agerati,
 Succi Absinthii densatorum ana dr. ij.
 Scammonij Antiocheni in Pomo cocti dr. v.
 Myr. Cepularum,
 Chebularum,
 Indarum,
 Agarici,
 Colocynth.
 Polypodii ana drach. ij.
 Turpethi,
 Aloes ana drach. vj.
 Mastiches,
 Rosarum,
 Salis Gemmæ,
 Epythimi,
 Anisi,
 Zingiberis ana drach. j.

*Ingred. xx.**Electarij Rosarū quantū sufficit ad comprehensionē. Mes.*

Si fumantur Succī densati, erunt efficaciores, hi aut paucissima aqua Absinthii dissolvantur, aut vnā cum Electario accuratē commisceantur. Corrigit Mes. Pomo Cydonio Scammonium etiam si multa extent illud castigantia; quod seruandum venit. Ignoratur enim à Seplasiariis Autoris finis.

Pilule

Pilula è Rhabarbaro Mesue.

R̄. Rhabarbari drach. iij.
 Succu Glycyrrhizæ,
 Succu Absinthii, f. densati,
 Mastiches ana drach. j.
 Myrobal. Citrin. drach. iij. β.
 Sem. Apii,
 Fœniculi ana drach. β.
 Trochiscorum Diarhodon drach. iij. β.
 Hierę Picræ, f. Mesues drac. x. *Ingred. x.*

Aqua Fœniculi excipiantur, & non Melle Rosa-
 ro, vel Syrup. è succo Fœniculi, vt multi dicunt, cū
 Mes. iam talem aquam præfixit, quæ quidem à suc-
 co Absinthii, & Glycyrrhizæ acquirit aliquem len-
 torem, qui est in causa, ne tam citò arefcant. Dissol-
 uantur aqua illa Fœniculi succi, scilicet Absinthii,
 & Glycyrrhizæ.

Error mul-
 torum.

Catapotia Sagapeni Mesue.

R̄. Sagapeni,
 Ammoniacy,
 Bdellii,
 Opoponacis,
 Aloes,
 Castorei,
 Sem. Harmel, f. Rutæ agreſtis ana drach. ij.
 Colocynthidos drach. iij. *Ingred. ix.*
 Fac

Error mul-
torum.

Fac massam cum aqua Porri, Mes. in qua dissol-
uantur Gummi, quę Colocynthidem corrigunt; &
ideo dānandi sunt, qui Trochisc. Alhandal vtūtur.

Pilula Inde Haly referente Mesue.

Rx. Myrobalan. nigrarum,
Hellebori nigri,
Polypodii ana drach.v.
Epirhymi,
Stæcados ana drach.vj.
Agarici,
Lapid. Cyanci, f. Lazuliloti,
Colocynthidis,
Salis Indi ana drach.iiij.
Succi Eupatorii, f. Agerati densati,
Spicæ ana drach.ij.
Caryophyl. drach.j.
Hieræ Picræ Mesue drach.x. *Ingr. xiiij.*
Fiat massa cum succo Apii, in quo soluatür suc-
cus densatus.

Pilula ex Sarcocolla Mesue.

Rx. Sarcocollæ drach.iiij.
Turpethi drach.iiij.
Colocynth. drach. j. β.
Zingiberis drach.j. β.
Salis gemmæ drach.j. *Ingr. vj.*
Dissolue Sarcocollam in aqua Rosata, & omnia
in vnum coge. Mes.

Catapotia

Catapotia Fœtida maiora Mesue.

Rx. Sagapeni,
 Ammoniacy,
 Opoponacis,
 Bdellii,
 Colocynthis,
 Sem. Rutæ agrestis, Harmel Arabicæ,
 Aloes,
 Epithymi ana drach. v.
 Hermodactylorum,
 Alſcebran, i. Efulæ ana drach. ij.
 Scammonii drach. iij.
 Cinnamomi,
 Spicæ,
 Croci,
 Caſtorei ana drach. j.
 Turpethi drach. iij.
 Zingiberis drach. j. β.
 Euphorbii ſcript. ij.

Inged. xix.

Diffolue lacrymas aqua Porri, & finge maſſam.
 Meſue. Nec Colocynthis, nec Scammonium aliqua
 correctione indigent, cum tot Gummi, & Aro-
 ma in ſe recipiant. Multa horum per ſe terantur.
 Gummi poſtquam diſſoluta per cribrum ſetaceum
 traiciantur.

Error ali-
 quorum.

Vu

Cata-

*Catapotia ex Thimelea Mesue,
sive Mezereon.*

R $\acute{x}$. Foliorum Mezereon, i. Thimeleæ Dioscor. in
Aceto infusorum, & exsiccatorum drach. v.
Myrobalanorum Citr. drach. iiij.
Cepularum, i. Chebul. drach. iiij. *Ingred. vj.*

Forma cum Manna, & Tamarindis, aqua Inty-
bi, scilicet Endiuia solutis, Mes. Pulpa Tamarindo-
rum per cribrum traiecta sit.

*Pilula Lucis, seu Optica Maiores Mes.
qua sunt in usu.*

R $\acute{x}$. Rosarum,
Violarum,
Absinthii,
Colocynthis,
Turpethi,
Cubebæ,
Nucis Moschatæ,
Calami aromatici,
Spicæ,
Epithymi,
Carpobalsami, Baccarum Iuniperi eius loco,
Xilobalsami, Ligni Aloes eius loco,
Seseleos, Sileris Montani eius loco,
Sem. Rutæ ana drach. ij.

Schæ-

Schænuanthus,
 Afari, scilicet Baccharę,
 Mastiches,
 Caryophyllorum,
 Cinnamomi,
 Anisi,
 Fœniculi,
 Apii,
 Casiæ,
 Croci,
 Macis ana drach. ij.
 Myrob. Citrinarum,
 Cepularum,
 Indarum,
 Bellericarum,
 Emblicarum,
 Rhabbari ana drach. iiij.
 Agarici,
 Senæ ana drach. v.
 Euphragiæ drach. vj.
 Aloes pondus omnium. *Incred. xxx-vj.*

Comprehendefucco Fœniculi, Mes. Colocynthis
 non tantum à quinque Myrobalanis corrigitur, sed
 ab innumeris Aromatibus.

Pilulæ ex Agarico Mesue.

Rx. Agarici drach. iiij.
 Radicis Ireos,
 Prasij ana drach. j.

Vu 2 Turpe-

340 De vera Meth. Pharm. par.

Turpethi drach. v.

Hieræ Picræ, scilicet Mesues dr. iij.

Colocynthis,

Sarcocolle ana drach. ij.

Myrrhæ drach. ij.

Ingred. ix.

Confice cum Robub, idest Sapa. Mes. Castigatur
Colocynthis à Sarcocolla, & Hiera, & Myrrha.

Pilula ex Hermodactylis Maiores Mesue.

Rx. Hermodactylorum,

Aloes,

Myrobalan. Citrin.

Turpethi,

Colocynthis,

Bdellii,

Sagapeni ana drach. vj.

Castorei,

Sarcocollæ,

Euphorbij,

Opoponacis,

Sem. Harmel, idest Rutæ agrestis,

Apii ana drach. iij.

Croci drach. j. β.

Ingred. xvj.

Forma cum succo Caulium vt Mes. in quo Gum-
mi dissoluantur. Colocynthis castigatur à Gum-
mis, balbutiant quidquid somniant nonnulli; ad
quid enim tot genera Gummi? nisi vt corrigant il-
lam,

Error ali-
quorum.

lam, & etiam coadiuuent ipsam ad operationem;
sed hæc ad Seplasiarios non attinent.

Pilula Sebellia Mesue.

℞. Spicæ Indæ drach.v.
Spicæ Romanæ, idest Celticæ dr.ij.
Rhabarbari,
Agarici,
Epithymi ana dr.iiij.
Costi, Galangæ eius loco,
Mastiches,
Camedryos, à vulgo Calamandrinæ,
Amomi, in eius defectu Cubebe ana dr.iiij.
Crocī drach. ij.
Myrrhæ,
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Schænuanthus ana drach.j.
Aloes drach. x. *Ingred. xvj.*
Cum Vino albo fiat Massa.

Pilule ex Lapide Lazuli Mesue.

℞. Lapidis Cyaneiloti, s. Lazuli drac. vj.
Epithymi,
Polypodii ana drac. viij.
Scammonii,
Corticum radic. Hellebori nigri,
Salis Indi ana drach. ij. β.
Agarici

342 De vera Meth. Pharm. par.

Agarici drach. viij.
Caryophyllorum,
Anisi ana drach. iiij.
Hieræ Picræ, scilicet Mes. drach. xv. *Ingred. xj.*
Vniantur cum succo Intybi, i. Endiuia.

Catapotia Fumariæ Auicennæ Fen. 3. cap. 7.

℞. Myrob. Citrinarum,
Cepularum, i. Chebul.
Indarum ana drach. v.
Aloes Succotrinæ drach. vij.
Scammonii drach. β. *Ingred. vj.*

Excipiantur aqua Fumariæ, & exsiccentur, quod
teragendū venit, deinde reponantur. Scammoniū
à Myrobalanis castigatur, & ideo non parandum.

Pilule Arabice Nicolai.

℞. Aloes vnc. iiij.
Brioniæ, f. Vitis albę Dios. ab Arabis Alfescera,
Myrob. Citrinarum,
Bellericarum,
Indarum,
Cepularum,
Emblicarum,
Mastiches,
Dachrydii,
Asari, idest Baccharæ ana vnc. j.

Rosa.

Error mul-
torum.

Rosarum vnc. j.

Castorei drach. iij.

Croci drach. j.

Incred. xiiij.

Excipiantur Fœniculi, aut Absinthii succo. Frustra me iudice imponitur Dachrydium, cum tot sint Scammonium præparantia, sed omnino acquiescendum venit Autoris mandatis.

Error multorum.

Pilula de Tribus cum Rhabarb. quæ sunt in usu.

℞. Rhabarbari elect.

Agarici optimi,

Aloes Succotrinæ ana vnc. j.

Mellis Rosati, & Vini aromat. ana q. s. *Ingr. v.*

Per se omnia comminuantur, & Mellis Rosati, & Vini æquali portione excipiantur.

Pilula Aurea Nicolai.

℞. Aloes,

Dachrydii ana drach. v.

Rosarum,

Sem. Apii ana dr. ij. β.

Anisi,

Fœniculi ana drach. j. β.

Croci,

Mastiches,

Colocynthis ana drach. j.

Ingr. x.

Cum Tragacanthi mucagine fiat massa. Colocynthis præter rationem castigatur; cū Mastichen,

Error aliquorum.

&

344 De vera Meth. Pharm. par.

Error alio-
rum.

& Tragacanthum compositio recipiat. Sed aliqui repugnantes Nicolai dictis, loco Tragacanthi Mel Rosaceum ponunt, quod quidem omnino est præter rationem, vt iam diximus.

Pilula Cochiae Rhafis lib. 9. ad Almanf.

℞. Hieræ Picræ Rhaf. de qua, vbi de Hieris dr. x.
Colocynthis drach. iij. & scrip. j.
Scammonii drach. ij.
Turpethi,
Stæcados ana drach. v. Ingred. v.

Fiat massa. Cum nullus sit liquor, excipiantur aqua Betonicæ, quibus, si Medici desiderant, hæc addantur

Pilula Cochiae cum Helleboro.

℞. Corticum radicum Hellebori nigri drach. ij.
Dauci,
Origani ana drach. β.
Iam dictis illis tritis hæc comminuta admisceantur, & vt diximus, aqua Betonicæ oīa excipiantur.

Pilula Arthritica Nicolai.

℞. Hermodactylorum,
Turpethi,
Agarici ana drach. iiij. Cassia

Casia,
 Spica,
 Caryophyllorum,
 Xilobalsami, eius defectu Ligni Aloes,
 Carpobalsami, Cubebe eius defectu,
 Macis,
 Galangæ,
 Zingiberis,
 Mastiches,
 Asari, idest Baccharæ,
 Saxifragiæ,
 Sem. Anisi,
 Fœniculi,
 Asparagi,
 Rusci, i. siluestris Mirri, vt Dioscor.
 Milii Solis,
 Rosarum,
 Salis gemmæ ana drach. β.
 Aloes ad pondus omnium. Ingr. xxij.
 Cum succo Fœniculi, aut Iuæ fiat massa.

Pilule Assaiareth Gentilis.

℞. Hieræ simplicis, idest Galeni vnc. j.
 Mastiches,
 Myrob. Citrinarum ana dr. iiij.
 Aloes vnc. ij. Ingrid. v.
 Cum Syropo de Stæcade fiat massa.

X x

Pilule

*Pilula de Hiera cum Agarico, quæ magis sunt
in usu, et à nobis probantur.*

Rx. Hieræ Simplicis Galeni vnc. ij.

Agarici elect. dr. v.

Mellis Rosacei q. s.

Ingred. iij.

Sed melius Vini Aromatici.

Error ali-
quorum.

Quo cetera excipiantur. Nonnulli loco Simplicis Agarici per se super cribrum comminuti, imponunt Trochiscatum, sed augent eius quantitatem ad drachmas sex.

*Catapotia Hieræ Simplicis Galeni,
quæ sunt in usu.*

Rx. Hieræ Simplicis Galeni vnc. j. β.

Mellis Rosacei quantitatem idoneam. *Ingr. ij.*

Fiat Massa. Melius erit excipere Hieram aqua Be-
tonicæ; possunt enim quolibet tempore parari.

Pilula Mastichine Conciliatoris.

Rx. Mastiches drach. iij.

Aloes drach. x.

Agarici drach. iij.

Ingred. iij.

Error ali-
quorum.

Excipiantur succo Altiliæ, i. Artemisiæ, vel deco-
cto Stæcados; at non eius Serapio, ut iam demon-
strauimus. Et omnia per se terantur.

Pilula

Pilula sine Quibus esse nolo Nicolai.

℞. Aloes lotæ drach. xiiij.
 Myrob. Citrinarum,
 Indarum,
 Emblicarum,
 Bellericarum,
 Cepularum, idest Chebul.
 Rhabarbari,
 Mastiches,
 Absinthii,
 Rosarum,
 Violarum,
 Senæ,
 Agarici,
 Cassutę, idest Cuscutæ ana dr. j.
 Scammonii drach. vij. β. *Incred. x. vj.*

Cum sufficienti quātitate succi Fœniculi, in quo
 sint triti, ac læuigati Scammonii drachmæ illæ se-
 ptem cū dimidia, fiat massa inunctis manibus Oleo
 Violaceo. Semper pōdus Myrobal. intelligatur esse
 illarum, quæ nucleis prius sint priuatæ.

Pōdus My-
 robal. quō
 sumēdum.

Pilula è Nitro Alexandri Tralliani.

℞. Aloes,
 Colocynthidis,
 Scammonii ana drach. j.
 X x 2 Bdel.

348 De vera Meth. Pharm. par.

Bdellii,
Hellebori nigri,
Gummi ana drach. j.
Euphorbii,
Nitri, f. communis in def. vel Salis adusti a. dr. β.
Excipiantur succo Caulium, in quo Bdellium, &
Gummi macerentur. *Ingred. ix.*

Pilula de Cinoglossa Nicolai Prapofiti.

Rx. Cynoglossi, i. Linguae Canis,
Opium,
Sem. Hyoscyami, f. albi ana drach. iiij.
Myrrhæ drach. vj.
Thuris drach. v.
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Styracis calamitæ ana drach. ij. *Ingred. ix.*

Excipiantur aqua Rosacea, in qua, si occasio postulabit, Opium, & quædam alia dissoluantur, ac læuigentur.

Pilula de Arnoglossa, seu Plantagine.

Rx. Thuris,
Myrrhæ,
Succi Glycyrrhizæ ana drach. ij. *Ingred. iiij.*
Cum succo Plantaginis fiat Massa.

Pilula

*Pilulæ à Cinoglossa Mes. quæ à nobis
commendantur.*

℞. Myrrhæ drach. vj.
Thuris drach. v.
Opīi,
Sem. Hyoscyami, scilicet albi ana dr. iiij.
Crocī drach. j. β.
Radicū Linguæ Canis, quæ dicitur Cyno-
glossa drach. iiij. β. *Ingr. vj.*
Forma massam aut cum Decocto illarum radi-
cum, aut cum succo herbæ.

*Pilulæ ex Aloe abluta, aut inalterata, seu nutrita,
ut Recentiores dicunt.*

Fiunt Pilulæ non rarò ex simplici Aloe, quæ in-
terdum abluitur, ut abiiciat acrem, atque morda-
cem eius qualitatem; sit aqua pluuiæ, aut Endiuivæ, aut
Buglossi, in qua postquam detrita fuerit, agiterur,
& misceatur diligenter, & postea sic relinquatur, do-
nec resideat, aqua illa reiiciatur; quod ter, aut qua-
ter iterandum venit, deinde exsicceatur, & reconda-
tur. Interdum non abluitur, sed aliquo succo im-
buitur, atque nutritur; non enim abiicitur exem-
pli gratia succus Rosarum, sed sub Sole sæpè agitan-
do vnà cum Aloe, exsicceatur; hoc reiteretur quin-
quies, vel etiam decies, si vigorosiorem esse Aloem
desideras, sit tanta quantitate, ut Aloe subsideat,
&

350 De vera Meth. Pharm. par.

Error mul-
torum.

& succus superet, & operiat illam. Imbuitur variis succis etiam, vt Cicorij, Violarum, Fumariæ, Buglossi, & similibus, non raro Decoctis, & Infusis, vt Rhabarbari, & Rosarum recentium diligenter expressis, vel Myrobalanorum, vel Sauinæ, ægre enim ab ipsa elicitur succus, nisi prius maceretur eius decocto, vel saltem irroretur, & prælo exprimatur. In vsu sunt Pilulæ illæ, quæ ex Aloe succo Rosarum nutrita parantur: sed pauci extant Pharmacopolæ, à quibus nouies, aut decies succus ille Aloe superinfundatur, quod odore cognoscitur.

Pilula è Colocynthide Galeni lib. i. de Comp. Medic. secundum locos c. i. vel de Quattuor rebus, à vulgo Sanctæ dictæ.

R̄: Colocynthidis vnc. j. vel partem vnā.
Aloes,
Scammonii ana vnc. ij. vel partes duas.
Succi Absinthii partem vnā. Ingr. iij.

Error mul-
torum Me-
dicorum &
Seplaf.

Fiat massa. Antea verò & Mastichen Chiam, & Bdellium adieci; hoc enim modo Quintus utebatur. Verum propter quid illa reiecerim, alio sermone explicabitur. Hæc Gal. Omnia illa per se terantur, & succi Absinthii conuenienti quantitate excipiantur; vel succo Brasicæ in vnum cogantur, vt cap. 9. Ab his patet non necessarium esse semper castigatum esse Scammonium, & Colocynthidem lentis, & viscidis, vt sunt Mastix,

Mastix, & Bdellium, sed satis esse illis permistum esse aliquid ventriculum roborans, vt Absinthii succus. Discant Medici Recentiores admodum timidi vti huiusmodi medicamentis, si cupiunt chronicos, & rebelles debellare morbos, quod etiam patrefecit lib. 5. Meth. cap. 14. dicens: *Pilulae, quae ex Scammonio, Colocynthide, Agarico, Bdellio, & Gummi Arabico conficiuntur.* Sanè satisfaciunt ad vsum, quæ sine Gummi componuntur.

Error Medicorum.

Pilulae ex Colocynthide Mesue.

℞. Colocynthidos drach. vj.
Myrobalan. Nigrarum,
Citrinarum,
Sagapeni,
Bdellii,
Sarcocollæ ana drach. v.
Aloes drach. vij.
Nigellæ, idest Melanthij,
Cumini,
Origani,
Nasturtii,
Salis gemmæ,
Absinthii Romani, i. communis ana drach. j.

Ingred. xiiij.

Infunde Lacrymas in aqua Porri, & finge massam. Mes. Ridiculum esset pro Colocynthide ab aliquo usurpari Trochiscos Alhandal, cum Myrobalani, Sagapenum, Bdellium, Sarcocolla, & ferè cetera

Error multorum.

352 De vera Meth. Pharm. par. &c.

cetera alia illam corrigant, & quædam horum ad-
iuuent illam.

Pilula Bechica Rhafis.

℞. Succi Glycyrrhizæ,
Amyli,
Tragacanthi,
Gummi,
Amygdal. dulcium mundatarum ana vnc. j.
Sacchari albi vnc. iij. *Ingred. vñj.*

Cum mucagine seminum Cydoniorum, cum
per se trita omnia fuerint, excipiantur.

